



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

6 De Sensualitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

De Sensualitate.

CAP. VI.

Hoc caput diuidetur in duas partes. In
 priore agemus de sensualitate gustus,
 quæ vitio gulæ committitur. In posteriore
 de sensualitate Tactus. Quod ad priorem
 attinet. S. Thomas modos peccandi gula
 ad quinque capita reuocat, hoc versu com-
 prehensos,

*Quid, quales, quomodo, quando, quantum-
 que ciborum*

Consumas.

Sed antequam ad declarationem acceda-
 mus pro fundamento totius discursus sup-
 ponere debemus, Dominum Deum cibum
 & potum homini concessisse, vt vitam sus-
 tentaret: sicut enim si lampadem accensam
 retinere velimus, opus est, affundere ole-
 um, vt flammæ, quæ continuo consumit
 humorem, non desit fomentum. sic vt ho-
 mo maneat in viuis, opus est, vt quotidie
 illi cibus potusque porrigatur, quo hu-
 midum radicale quod calore naturali
 indies consumitur, restituitur. Vnde
 Aristoteles mortem definit *esse extin-*
ctionem caloris in humido. Qua ra-
 tione & lampadem mortuam dicere
 possu-

possumus, quando ob defectum olei flamma extincta est. Veniendo igitur ad rem, dico, etiamsi homo à natura impellatur ad sumendum cibum & potum, tamen quoniam ratione præditus est, modum in sumendo tenere debet, quem illa præscripserit. Peccabit autem, quoties modum illum fuerit præuaricatus. Incipiã à prima conditione id demonstrare, quæ in versu est **QVI**.

QVI significat, quis cibus vel potus, si spectetur natura, sumatur. In hoc autem peccari potest, quando v. c. à paupere vel medico sumeretur cibus vel potus eius statui minimè congruens, vt phasianus, vel eapo. Secundo, si sumatur cibus vetitus, vt carnes tempore quadragesimæ. De vtroq; arguit B. Bernardus fratres de monte Dei, quoad potum vini, tum quod regula præscribat potum aquæ, tum quod pretiosiora vina, & quidem pura, sine vlla aquæ mixtione biberent. Ad primum caput reuocari potest, si quis in mensa statim iniiciat manus in fercula præstantiora iis, quæ ante se habet, vel si quis viliores, crassioresq; cibos repudiet.

QVOMODO, id est, an æquo auidius cibus sumatur. Quod sequentibus signis cognosci potest. Primò si nimis festinanter
ori

ori ingeratur, & vix masticatus deglutia-
 tur. Secūdo, si frustra nimis magna, vt buc-
 cæ ambæ inflentur, & vix respirationi sit lo-
 cus. Tertio, si capite nimium in pafinas in-
 flexo de quo dici verè potest. *Animus in pa-
 tinis est.* Quarto, si nimis cito cibi diffri-
 gantur, vt parcatur tempori Idem de potu
 dici potest, in quo sumendo delinquitur, si
 quis labra, instar equi, in schyphum im-
 mērgat, & cum sonitu hauriat. vel contra, si
 quis cunctabundè quasi pitisset, quo ma-
 iorem capiat voluptatem, quem modum
 S. Bonaventura in hominibus spiritualibus
 vehementer improbat. Vbi nota etiam vi-
 liores cibos nimia auiditate posse sumi, vt
 fecit Esau cum sua lenticula: & obseruauit
 B. Augustinus Christum Dominum in de- *Gen. 25.*
 serto fuisse tentatum pane, non aliis eduliis *Mat. 4.*
 pretiosis, & Dauid putauit se non fore ex- *2. Reg.*
 perrem culpe, si biberet aquam ex cisterna *23.*
 Bethleemica allaram.

QVALES, id est, qua ratione conditi.
 Delinqui enim potest, si etiam viles cibi &
 crassi nimis pretiosis, minusq; vsitatis con-
 dimentis parētur, aut si in parandis, nimis
 multum temporis & laboris impendatur.
 In qua re etiam supra mensam peccatur, vt
 si quis ex variis ferculis aliquantulum deli-
 ber,

bet, tantum ad oblectandum palatum: & si quis oliuam vel fœniculum ante potum mandat, vt voluptas maior ex hauſtu vini percipiatur. Nec tamen ideo communia & vſitata ciborum condimenta damnamus, vt quod acetum vel ſynapi, quibuſdam ferculis adhibeantur, ne ſint inſipida. De quo vitio S. Bernardus etiam reprehendit iam dictos fratres, quia melle vina condiebant, vt eſſent ſuauiora, & guſtari graviora; nec non variis aromatis, vt etiam afficerent odoratum.

QVANDO, designat tempus comedendi. Nam cibum nimis mane ſumptum ſapiens etiam reprehendit in Principibus.

Ecl. 10. Va terra, cuius rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt. S. Paulus quoq; arguit

2. Cor. 11. Corinthios de tempore cœnæ. Vnusquique inquit, cœnam ſuam præſumit ad manducandum. Secundariò etiam culpa non caret, qui ſæpius in die citra neceſſitatem comedit, vel ex praua conſuetudine, vel ex ingluvie, niſi legitima cauſa excuſet, qualis eſſe poteſt ſecundum S. Thomam, ciuilitas, ſi quis à graui perſona inuitaretur. Ratio huius eſt, quia non cõuenit nouum cibum ingerere, cum prior nondum eſt digeſtus: tunc enim frigefcit ſtomachus, & digeſtio impe-

impeditur; unde sequuntur cruditates & morbi. Idem de potu dicendum, de quo Medici proferunt exemplum olæ bullientis, in quam si frigida aqua infundatur caro nigrescit, & insipida crudiorue efficitur.

QUANTVM, id est, quantum cibi, potusue sumendum sit. De quo respondeo primo, non posse omnibus eandem quantitatem præferibi. Sicut enim lampadi, quæ crassius habet ellychniũ, opus est infundere plus olei, sic homines, in quibus abundat calor naturalis, opus habent copiosiore cibo. Eadem de causa potest aliquando quis plus cibi sumere, vel quia diurno labore corpus exercuit, vel quia pridie ieiunavit. Ob has causas difficile est nõ transgredi debitam mensuram, vt confitetur B. Augustinus in libro 10. Confessionum c. 31. his verbis. *Et quis est Domine, qui nõ rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Qui quis est, magnus est ego autem non sum, quia homo peccator sum.* In qua sententia consideratione dignũ mihi videtur verbũ *aliquantulum?* Videtur. n. exigui quoq; excelsus rationem habuisse. Deinde subiungit. *sed dñs ad quietẽ faciet. etis ex indigentia molestia trãseo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus cõcupiscentia ipse. n. trãsit no voluptas est: S nõ est alius,*
qua

qua transeat, quam quo transire cogit ne-
 cessitas. Deinde aperit fraudes. Et cum salus
 sit causa edendi & bibendi, adiungit sese tan-
 quam pedisse qua periculosa voluptas, & ple-
 rumq; praeire conatur, & eius causa, quod sa-
 lutis causa me facere, vel dico, vel volo. Et dif-
 erimen ostendit inter sanitatem & sensua-
 litatem, dicens. Nec idem modus & tris q; est.
 Nam quod saluti satis est, delectationi parum
 est, & saepe incertum fit, & trum adhuc neces-
 saria corporis cura subsidium petat, an volupta-
 ria cupiditatis fallacia ministerium suppetat.
 Exclamat deinde contra animam, quod de
 tali incertitudine gaudeat. Ad hoc incertum
 hilarescit infelix anima, & in eo praepraeat ex-
 cusationis patrociniū, gaudens non appare-
 re, quid satis sit moderationi & aetudine, &
 obtentu salutis obumbret negotium volupta-
 ris. Ac ut ne cogites hoc negotium esse pueri-
 le, virisque grauib; indignum, audi quid
 subiungat. In his ergo tentationibus possum
 certo quotidie aduersus concupiscētiā man-
 ducandi & bibendi. Vbi notandum puto vo-
 culam, QUOTIDIE, quia ut quotidie man-
 ducabat, ita quotidie certabat. Addit & qui-
 bus armis certauerit, a Deo acceptis, dicens.
 Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamē-
 ta, sic alimenta sumpturus accedam. Quo-
 rum

ram verborum mihi videtur geminus esse sensus, conueniens extremis, quibus potest in quantitate peccari, hoc est, vel in quantitate ciborum, vel quantitate delectationis. Sicut enim medicinæ ad certam & definitam sumuntur mensuram, sic potus & cibus: & sicut in illis non queruntur delicati sapes, sic nec in istis immoderata lautities. Dico lautos sapes non requirēdos, quia non delinquimus sentiēdo aliquem saporem gratū in cibo & potu, (Deus enim ideo illis indidit saporem, vt appeterentur) sed tantum quando aut nimium sapes persequimur, aut cōtristamur facile, si præstantes sapes absint. Quod edisces, si animi tui motus obserues, sicut & quantitatem cibi potusue sufficientem facile notabis addendo, vel diminuendo, si obserues, vt affectus sis in corpore sub tempus cœnæ: multò autem magis, si auxilium diuinum implores, vti fecit S. Augustinus, & Patris spiritualis consilium non negligas, qui tibi & alia monita hic suggerere poterit in rem præsentem; quæ ego, ne nimis minuta persequi videar, aut fastidiosus sim, præmitto.

VENIO ad alteram capitis partem, hoc est, ad voluptatem Tactus, de qua tamen

L I directè

Cap. 21.

directè agere non statui, quia etsi periculofior & perniciosior sit voluptate gustus, tamen quia quisque, qui non est omnino illius laqueis constrictus, sponte eam detestatur & horret, tantum hic indicabo signa quædam, à S. Bonaventura, in tractatu de puritate conscientia commemorata, vt ostendat hunc amorem illius generis esse, quo affici possumus erga quamcumq; personam, etiam religiosam. Primum est, teneri desiderio illam videndi, alloquendi, & cum ea conuersandi, & idcirco crebriò cogitare de illa, idq; tẽpore importuno, maxime orationis & meditationis. Alterum est, gaudere quando id contingit, vel contristari si contrarium eueniat, vt si vtatur cõsuetudine aliorum. Tertium mittere ad eam litteras, munera, nuncios frequentes, & salutationes. Quartum, eius sæpe recordari, de ea loqui, & in phantasia eius speciegus aliaq; reuoluere.

Vbi notandum multa ex dictis patefacere, quando in amore est excessus, etsi finis & scopus sit bonus, vt fit in religiosis, qui post amplexatum Christi consilium deserendo patre, matre, &c. tamen inordinato amore parentes, fratres, & sorores prosequuntur, cum nulla vel animi, vel corporis ipsorum necessitas vrget. *De*